

Cæterum quatuor magna juxta doctrinam Christianam Armenorum distinguuntur animarum ex hac mortali vita exeuntium receptacula.

Unum inferorum, in quo maligni, superbique diaboli, et homines æternum damnati in loco tenebroso et Paradyso remotissimo <sup>tiſimo</sup> comorantur.

Alterum est primo receptaculo altius, in quo animæ mortalium temporales purgatorij penas sustinentes cohabitant, hic locus pariter à Miersefida jensi Carcer nuncupatur.

In tertio his ambobus altiori loco degunt animæ infantium ex hac vita sine baptisinate migrantium, hi infanti nullis quidem torquentur pœnarum cruciatibus, sed solo visionis Beatificæ gaudio privantur.

In quarto his cunctis superiori receptaculo, quod Limbus dicitur, animæ defunctorum Patriarcharum,